Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 455
Quelle:
Copyright:

P. 2. p. 212. a quo Exemplo nostrum non raro variat. Egit de eo *Lambecius* ὁ μακαριτης cum in *Diario Itin. Cellens. p.* 196. tum *Comment. L. VIII. p.* 189. edit. *Kollar. col.* 398. Item *Fabricius Cod. Apocr. N. T. P.* III. p. 533. quo Lectorem remitto, id observare contentus, *Pseudomelitonem* nostrum tam bene e Fabrica *Graeca* prodire potuisse, quam ab eo diversum ejusdem argumenti Opusculum *Johanni Apostolo* sive *Theologo* tributum, cum et istud jam diu latine extiterit. Confer *Fabricium p. cit.* Addo: licet in *Cod.* nostro prave scriptum sit *Sardiniensis* pro *Sardensis*, extitisse tamen etiam *Melitonem Sulcitanum* in *Sardinia* Episcopum, cujus mentio in *Act. SS. Bollandi Kal. April.* T. I. p. 11. Vide et *Cod.* CCXCIII.

CLXV. VIII F 8

464 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 46. 4. bene scriptus, et rubricis distinctus plura diversis manibus exarata complectitur, et I. quidem: *Incipit epistola Abbini* (Albini, Alcuini) *magistri ad singulfum presbiterum*, hoc tenore: *Dilectissimo In christo fratri Singulfo presbitero. albinus salutem. Quia indiuiduus et fidelis michi karitate* (Charissime al.) *frater socius tanto tempore fuisti* &c. Post Epistolam: *Incipiunt super Genesim obscure inquisitiones. et utiles explicationes.* Ita: *Interrogatio. Quomodo conuenit quod in Genesi legitur. requieuit deus die septimo* &c. Extat Opusculum edit. *Ratisb.* 1777. T. I. P. 2. p. 305. collatum cum *Mss.* quibus *Codex* noster probe consentit, sed paullo ante finem in his verbis: *In persecutionis angore* — — abrumpitur.

II. *fol.* 35. Narratio fabulosa absque titulo de *Johanne Indorum* Patriarcha pro suscipiendo Pallio *Byzantium* advecto, atque inde cum Legatis *Calixti* II. anno ejus IV. (1122.) *Romam* digresso, ubi in Palatio Lateranensi praesente *Calixto*, Clero et Populo de Patriarchali Sede sua *Hulna*, de adsito, aquisque circumdato Monte cum Ecclesia S. *Thomae* Apostoli, de Corpore ejus ibidem erecto in argentea Concha stante, et festa sua luce Populis Eucharistiam distribuente mira retulit, quae contractiora legas in *Chronico Alberici T. II. Access. Hist. Leibnitii Hannov.* 1698. p. 243. ad annum praedict. et in *Chronico* magno *Belg.* quod *Albericum* hic sequitur. Pluribus praefatur Noster ita exorsus: *Temporibus antiquis consuetudo fuisse legitur rerum bonarum studia memorie mandari — Vnde arduum aggredientes. licet indigni uideamur. tamen ne per incuriam posteros lateret. ea que de apostolo thoma ualde miranda nostris temporibus romę recitata sunt. posteris significare curauimus. Temporibus itaque calixti secundi* &c. Sunt praeterea, quae ex eo in *Leibnitii* Exemplo emendes. Ita civitas